

B.29780

54777

ORATIO

CORAM CLARISSIMIS

Lyc. Ovet.

RECTORE, DOCTORIBUS, ET MAGISTRIS

pro solemnī studiorum apertione

DICTA

à D. D. Josefo Fernandez Castañon

SACRÆ THEOLOGIAE PROFESSORE

ET ACADEMIE ORATORIE MODERATORE

POSTRIDIE KAL. NOV.


Anno Domini MDCCCXXXIII.

— ❦ —

Oveti :

=

cc Typographia Pedregal.



*Posside Sapientiam, et arripe illam, et exaltavit te,
glorificaberis ab ea, cum eum fueris amplexatus.
Proverbiorum Cap. 4 V. 7 et 8.*

Prima, et præcipua dicentis cura, Dignissime Rector, Sapientissimi utriusque facultatis Doctores, et Magistri, cæterique adstantes, prima, inquam, ac præcipua cura loquentis est orationis objectum sub novitatatas specie præbere audientibus. Elogium veró sapientiæ, di qua mihi hodie habendus est sermo, cujusque amorem juvenum pectoribus, cunctisque ingererè vellem, ejus magnitudinis est, ut mei ingenii vires in infinitum excedat, et superet: sola enim ipsa si humana fuisset animata voce dignas de se laudes proferre potuisset. Licet enim infinita Sapientiæ elogia exhaurire nemo valeat, præ ingenii tamen inopia ad illius laudationem viam mihi interclusam video. Quapropter fato nescio quo urgeor, vel de sapientia nihil dicere, vel in tot, tantisque sapientiæ encomiis jam dicta repetere. *Eloquar, an sileam?* Attamen humanitati vestræ confidens, quam semper erga me experiri licuit per spatiosum Sapientiæ campum, qua potero argumenti metho-



sapientibus viris summus semper tributus est honor amplissimaque decreta præmia, philosophis, oratoribus, poetis, medicis, mathematicis, jureconsultis, et quidem non immerentibus. Suspiciate hunc ducem, atque moderatorem temporum solem, assidua vertigine Cælum obeuntem, suaque clarissima luce perfundentem, et collustratam omnia. Nonne is omnium, quicumque oculorum sensu orbati non sunt, lux est per quam res singulas intuentur? Est sane. Sic prorsus omnibus, quibus cælesti beneficio concessa est ratio, tamquam oculus lumen, dux, et ornamentum est vir sapientiæ compos. Atque illi demum dicendi sunt vivere, et memoriam sui quammaximè longam efficere, quibus vel in senectute aspirare ad sapientiam licuit: reliquorum vita somno est quàm simillima, in quo vanæ imagines, inanesque rerum species animos deludere consuecunt: neque est animal in terris pulchrius homine litteris tincto, atque adeo infecto. Eruditorum vitam exemplar quoddam dixerim illius beatissimi statûs, in quo aurea ætate homines erant victuri fuisset quippe tunc vita non aliud, quam jucundissima quædam schola, in qua de rebus divinis, de natura rerum, de æternitate animorum, de motibus cælestibus, de quibuscumque vitæ officiis, de pulcherrimis demum quæstionibus quam frequentissime disputaretur. Dæ item res sunt, quibus nihil habet natura humana constantius, nihil melius, nihil clarius, nihil majus, justitia, et veritas: divitiarum enim, formæ, reliquarumque rerum gloria fragilis, caduca, et exigua est. Harum porro inquisitio, et explicatio scholis est commendata. Et quamquam in templis, aulis, et foro veritatem, atque jus-

titiam regnare oportet, earum tamen notitia a scholis desumitur. Splendor generis, et familiæ bonum quoddam est a majoribus acceptum. Divitiarum possessio fortunæ dominationi subjecta est. Honor res instabilis: non longi temporis forma: sanitas quoque facile corrumpitur: senectus, et morbus robur auferunt, et elephantis, tauris, atque leonibus validiores quàm homini concessæ vires. Bonorum itaque omnium sola Sapientiæ cæleste quoddam, et immortale bonum, nulli periculo, casibus nullis, nulli temporum varietati, obnoxium. Quid dicam de fructibus? Si in animum idoneum tanquam in pingüe, ac suâ naturâ fertile solum scientiarum isti satus incidirint, non poterunt non fæcundas, ac lætas efferre segetes. An non memorabilis sapientiæ fructus hic vobis videtur, quod Reges, et Príncipes viris doctis amicitia suæ fores cupidissime patefecerunt semper et singulari eos liberalitate, benevolentiaque prosecuti fuere, seque illis instituendos tradere volueret? Pericles, qui annis quadraginta Atheniensium rempublicam administravit, ab Anaxagora Clazomenio fertur institutus. Timotheum Cononis filium Isocrates, Epaminondam Lysis Pitagoreus, Alexandrum Magnum Aristoteles, Agesilaum Xenophon, Dionem Plato erudierunt. Solonis colloquutionibus summo opere tenebatur Cræsus, cum Dionisio Plato, et Aristippus familiariter vixerunt, cum Alexandro Callisthenes, alii demum cum aliis. Inter Sapientes autem non postremas poetæ occupant, è quibus charum fuisse constat Aeschylum, et Simonidem Hieroni, Euripidem Archelao, Scipionibus, et Catoni majori Ennium, Lælio Sapienti Lucilium, Memnio Lucretium, Mæcenati, et Augusto Imperatori Vir-

imitaberis, et in eo, quod tam necessarium, tam fructuosum, jucundumque intellexisti, consecrando, nullam neque corporis, neque animi defatigationem, contentionemve recusabis. Nihil enim sine labore, diligentia et studio discitur, et solum qui legitime certaverint, sapientiæ præmia adipiscentur, suavissimos ejus fructus percipient, maximamque jucunditatem experientur. Insurgite ergo operi, attamen in addiscendo cavete, ne rationis terminos transgredientes, omnia rationi subicere velitis. Is vere sapiens est, qui novit qualis, et ad quantum jurisdictio rationis se extendit, et ubi necessarium est in fidei obsequium intellectum captivare: animadvertite etiam, quia non debetis plus sapere, quam oportet, sed sapere ad sobrietatem. Vera enim sciencia cum virtute copulatur, virque verè doctus ante oculos timorem Domini semper habet, *illud enim initium omnis sapientiæ*. Cavete etiam, ne cognitionis ardore indagationisque cupiditate omnes libros indiscriminatim amplectamini, manibusque vestris versare cupiatis: sunt enim, oh dolor! istis calamitosis temporibus, sunt enim permulti libri, quorum aliqui sub pietatis larva venenum infundunt, juventutemque pervertere conantur: alii vero impudentissime omnia irridentes, et dogmata sacra, veritatesque Catholicas parvi pendentes, impios non doctos facere intendunt. Abhorrescite ab his, et animum ab eis avertite semper, non enim in illis vera sapientia, sed fraus ad perniciem vestram. *Nolite æmulari in malignantibus, sed æmulamini tot, tantosque viros, qui in hoc per illustri Lycæo florere, tan in jure civili, et canonico, quam in sacra theologia præstantissimi, qui non nisi*

superatis difficultatibus rerum cognitioni annexis, ad scientiarum culmen pervenerunt, et quorum memoria hæc Universitas gloriatur, et de quorum jactura merito dolet. Sed utinam, utinam injuriam hanc reparare possit per tot novella germina, quæ in diem parturiet fecunda Parens, *et cum eis gloriari, sicut Pater gloriatur cum filio sapiente!*

DIXI.